




vh. Mus. Bibl. Lep





6.

Q. D. F. E. J.

S. MATTHÆI  
FIDEM GENEALO-  
GICAM  
IN MEDIA TESSERA.  
DECADE,

*ad Matth. I, 6 - II.*  
PROPOSITIO DEO O. M. ET MAX. REV. ORD. THEOLOGICO

AC  
PRÆSIDE

JOH. PETRO Grünenberg/

SS. THEOL. D. AC P. P. CONSIL. DUC. CONSIST.  
ET PER DISTR. MEKEL. NB. SU-  
PERINTENDENTE

IN AUDITORIO ROSTOCH. ACADEMIE MAXIMO  
ANN. 15 IECI. DIE XI. MAJI. HORA VIH. AD XH. DEFENDET,  
PROPTEREAQVE PLACIDE DISQVISITIONI  
SUBJICIT

JOACH. PRÜSSING. WARENIA-MECL.  
SS. THEOL. STUD.



Rostochi,  
Typis IOH. WEPPINGII, Univ. Typogr.

# VIRIS

SACRA DIGNITATE,

INFUCATA ERGA DEUM ET CHRISTUM PIETATE,  
SINCERO ERGA ECCLESIAM AMORE,

ATQVE

EXCELLENTI RERUM DIVINARUM PERITIA  
VENERABILI ET ADMODUM REVERENDIS

DN. ULRICO ERNESTO *Schumann*/

SERENISSIMI DUCIS MECLENBURGENSIS

PER PRINCIPATUM SVERINENSEM

PRÆSULI VIGILANTISSIMO,

THEOLOGO ORTHODOXIE, SANCTITATIS ET PACIS  
OBSERVANTISSIMO,

PATRONO AC PROMOTORI SUO MAXI-  
ME DEVENERANDO,

ITEMQVE

DN. JOACH. MARTINO *Schumann*/

AC

DN. GEORGIO *Wesepfahl*/

VERBI DIVINI PRÆCONIBUS SOLERTISS. FIDELISS.

ECCLESIEq; QVÆ IN CATHEDRALI SVERINENS. TEMPLO

DEO COLLIGITUR, PASTORIBUS MERITISSIMIS,

COLLEGIS DOCTRINA PURITATE, VITÆ PROFITATE,

ANIMORUM ÈQUALITATE CONIUNCTISSIMIS,

FAUTORI UTRIq;, ALTERI ETIAM AVUNCULO SUO

OMNI HONORIS CULTU PROSEQVENDIS,

LINEAS HAS

IN

VERBI DIVINI GLORIAM

SCRIPTAS

CUM VOTO PERPETUÆ BEATITUDINIS, VIRIUM ANI-

MI ET CORPORIS CONSTANTIUM

AC GRATIÆ TÒN ΑΡΧΙΔΟΜÉΝΟΖ ÈTERNAZ

OBSERVANTISSIMÆ

D.D.O.

RESPONDENS,

# I N. J. N. A!

Nter celeberrimas pariter, & diffi-  
cillimas Qvæstiones, qvæ in Matthæi Ca-  
pite I. Theologis & Criticis sc̄e offerunt,  
ea meritò referuntur dubia, qvæ versum  
3. & ii. spectant. Illæ enim occupan-  
tur partim circa genealogiam ipsam, par-  
tim circa computationem temporis, nec  
omitti temere possunt à sacrarum Litera-  
rum Defensore ac Vindice contra multi-  
plices hodie earundem hostes. Prusquam  
igitur eas qvæstiones, qvæ inde proveniunt, consideramus, non  
puto incongruum esse, si illud expediatur, qvod B. Luth. Com-  
ment. in Gen. c. 33. ait, ubi laudes studium computandi tempora S.  
historiæ, idq; tum ab utilitate, tum à necessitate commendat,  
& cum Paulus Apostolus genealogiarum computations prohibeat,  
temporum computations ab eo incufari negat. Addit deinde ve-  
rò, genealogias propter ingentem suam seriem nimis incertas esse,  
& in tantis variarum nuptiarum, itemq; variè mixtarum familia-  
rum ac generum mutationibus ferme inexplicabiles, præsertim cum  
non raro, Lyrâ indice, contingat, eundem hominem variis no-  
minibus insignitum, vel ex alterâ parte, eodem nomine varios ho-  
mines insignitos fuisse. Atq; hinc concludit, genealogiarum cau-  
sam & valde intricatam esse, & prohibiram: qviq; eam audaculè scruti-  
ari velit, eum non nisi frustra laboraturum esse. Verba protuli  
¶ Tom. IX. Altenb. Germ. pag. 1047. fac. 1. Probè autem hic ob-  
servandum est, B. Lutherum hic nobis pland non adverfari, qvi  
scrutamur Domini Nostri Jesu Christi genealogiam, inq; cā tan-  
cum avenimus proficere, ut expædiantur ea, qvæ expediti possunt,  
difficultates; nec eum loqui de certis Lucae ac Matthæi genealogiis,  
qvam u ranq; Sp. S. adeò expeditam proposuit, ut ad ejus amulsum  
Verus Testamentum dextre exponi, & occurens in eo alias vix dis-  
solubilis difficultas per Matthæum & Lucam tolli queat: sed age-  
re illum de genealogiis quibusdam alibi, ac speciatim in i. Chro-  
nicorum libro occurrentibus, qvas impeditas, nec curiose scri-  
andas esse ait, licet Chronicorum librum non citet. Neq; enim  
quisquam

A

qvisquam diffitebitur, ibi qvædam adeò esse hiulca, ut nulla ars  
humana resarcire istum defectum possit: qvem quidem defectum  
sciens volensq; humanæ sapientiæ objecit Sp. S. ut sén ieret illa, ni-  
hil genealogicæ rei ita expeditum esse præter folam genealogiam  
upius Christi, ut post Hierosolymarum excidium in illâ tribu Iraëli-  
ticâ ullus homo de eis certitudine gloriari possit. Solus igitur  
JESUS est, qui utr omnes portas Iraëliæ & Qolitæ & synago-  
gæ, ita etiam genealogiaz clausit. Hæc una genealogia certa, hæc  
vera est, omniumq; simpliciter ultima, qvæ apud Lucam reter-  
tur, maximeq; ei vicina, qvæ ad Josephum nutritum Christi  
parentem spectans à Matthæo est recensita. Neq; ergo B. Luther-  
rus repudiavit unq; am, aut prohib. tamen dixit illam industriaam,  
qvæ his adeo claris genealogiis imponitur: sed censendus est tan-  
tummodo loqui de inexplicabilibus genealogiis, qvarum fra-  
gmenta in S. literis occurruunt, & propterea, ut humanæ curiositä-  
ti supervacuæ, & indecoro alijs cujuspiam Messiæ desiderio obli-  
cēm pōneret, à S. Spiritu sunt abrupta, specimenis tamen ergo re-  
servata, ut videremus, qvanta qvondam seduitas fuerit pri corum  
Iraëliarum, familiarum propagationem avidissimè consignanti-  
um, ut testarentur de cognatione, qvâ venturum in carnem Messi-  
am proximus attingere qvisque optabat. In his igitur sobrie  
philosophandam, ita tamen, ut siqvis illa eriam hucusq; intrica-  
ta confenteiente scriptura expedire queat, ob emanantem inde  
conta biblioraastyes utilitatem tantæ B. Lutherus moderationis  
sit, ut istud studii genus in eō, qvi explanaverit, aliis in locis lau-  
dare non vereatur, cum inter prohibita nihil omnino referre ve-  
lit, nisi qvod due scripturâ enodari haud possit, atq; ita sine illâ  
ullius hominis utilitate non sine magno temporis dispendo teme-  
re disquiratur. Sed nunc quidem istis prætermis ad prognata qvondam  
è citatis versibus problemata accingor, atq; ita scrutari lubet:

1. An omisſa sint qvædam genealogias membra  
à Matthæo genealogiam Josephi exponente, necne

§. L.

**N**ullus omnino est vel Criticorum vel Theologorum,  
qvos quidem novi, qvi, quando in Matthæi cap. i. in-  
cidernit, hanc materiam visuri, communis sententia non as-  
serue-

seruerint, esse qvædam membra a Sp. S. omisla, qvi tam en in tanta confensione minus consentientes allegaverunt rationes. Exempla eos si poscas, ibi etiam diffa-  
tiunt. Plerique tamen omnes citant v. 8. omislos Joram filium, nepotem, pronepotem: quidam etiam Jojakim v. 1. prætermisum existirant: pauci tandem qvæda-  
m habent, qvæ circa Jechoniæ filium Phadajam mone-  
ri debeat. In quibus qvamvis discrepent, in eō hi o-  
mnes tamen convéniunt, membra qvædam desiderari.

§. 2. Qvorum lubido est invehi in Sacros & præ-  
fertim Evangelii scriptores, partim ignorantiam, erro-  
rem, lapsum memoriae, quasi Ochosiam & Oziam v. 8.  
Jojakimum & Joachinum v. 11. Zorababelis patrem  
Phadajam cum Salathiele v. 13. confuderit; partim mali-  
tiā & crimen falsi accusant, in quibus iam olim Por-  
phyrius fuit, qvi Christianis hoc Matthæi caput objicere  
solitus est teste Druſio, & Waltherus in Harm. Bibl. ad  
h. l. Judæos, ait, juxta & alios profanos Matthæo hoc  
vitio vertisse. Verum hoc blasphemum, & in Sp. S. in-  
jurium est, & de vaile objectis quidem suo loco dicetur.

§. 3. Christianorum quidam corruptelam & erro-  
rem librariorum notant, qvorum culpā factum sit, ut &  
v. 8. omissa sint qvædam, & v. 11. iterum unum omittere-  
tur nomen, qvod in autographo tamen Matthæi omissum  
esse non videatur. Hi igitur certa potius exemplaria,  
qvam ipsum Matthæum omissionis arguunt. Sed qvamvis  
pro v. 11. duorum codicum fides allegetur, nihilominus  
illa nimis est tenuis, refragantibus innumeris codici-  
bus aliis, simpliciter in illam, qvam habemus, lectionem  
consentientibus: tum etiam ad v. 8. reclamat ipse Matthæus, ~~goreas~~ v. 17. numerans. E nostris tamen contra  
librarios etiam queruntur Chemnitii Harmonia, & Wal-  
theri Centuria Miscell. Theol. Them. 77. & alii,

§. 4. Non pauci ad meram libertatem Matthæi, & Principis Autoris configiunt, per qvam qvædam membrapräterita fuerint, sicut id in aliis qvoq; genealogiis observetur in V. T. passim factum. Liberum (ait Glass. l. 3. Philol. S. Tr. 2. can. 1. n. 1. & post eum Prücknerus Vindic. Bibl. Part. IV. ad Matth. l. v. 17.) sibi Mattheus fecit, qvorum dam nomina preterire, cum in tres classes generationes distribuerit, & singulis quatuordecim capita attribueris. Fermè ea dem ratione Chemnit. in Harm. & Gomarus pec. Diatrib. de Geneal. Christi Mattheo non fuisse propositum volunt singul- rum regum nomina referre, qui inter Davidem intercesserint & Cbrisum, sed suo consilio certas constituere tesseradecadas & me- diam claudere cum septem fine. Sed hæc omnia (uterque au- tem loqui debet de Regibus in generationis seriem referen- dis) æquius dicuntur, qvamista probari poterit mera volunta, licet in libertate Sp. S. id fuisse non negemus, sed tunc eam libertatem per veritatem & voluntatem autumamus effelimitatam, qvando omnia generationum capita à Spiritu S. connumerantur.

§. 5. Alii ad certam DEI vindictam referunt, qved DEUS expungi voluerit qvædam nomina ē serie familiae Christi, vel qyoniam Propheras de Christo vaticinari non siverint, uti Tuitiensis Episcopus Rupertus autumnavit; sed qvomodo id probabitur, qvod S. literæ non referunt, renuente etiam hæc ip̄a genealogiā, qvæ alios qvosdam expre- se memorat, qvi contra Prophetas DEI verbo & ferro se op- posuerunt? vel qvia insignes præ aliis alio qvodam insigni scelere & speciatim idololatrico peccato illi fuerint, qvod Lighthfoto non disiplicet, sed ne id qvidem in omissis omnibus sufficienter probabitur, siqvidem alii pluribus, gravio- ribusq; sceleribus infames recensentur: vel qvia divinæ ma- ledictioni, ob domum Amri & Ahab in reges Juda devolu-

tæ, speciatim quidam fuerint subjecti, propterea qvod Jo-  
ram ducta Athaliâ Achabi filiâ in Judaicum regnum flagi-  
tia introduxit, unde tres ab ipso descendentes proximæ  
generationes fuerint deletæ, sicut minatus fuerit DEUS, se-  
ulturum esse paternam impietatem in filiis odio se habenti-  
bus, usque in tertiam generationem: sed neque hoc ali-  
quid vera rationis habet, siqvidem hōc respectu Joram po-  
tius ipse debuisse omitti: nec umquam minatus fuit Deus,  
se nomina posterorum ē genealogiis deleturum esse ob-  
facinora patrum, licet filii iis consentirent & omnino obfi-  
stit versus Matthæi decimus ſeptimus: *ne* quia tres omis-  
ſitypum gesserint omnium hostium S. Triados, & Trium  
Virtutum Christianarum, uti ludit Salmero; sed lufum lu-  
fum, non rationem dicimus, nec adeò remotas allegorias  
probare possumus.

§. 6. Alii ad infelicitatem omissorum Regum in-  
tendunt oculos, qvoniam, si Jojakim qvibusdam omissus  
dicatur miserrima ejus fata aſinir o ſepulcro notabiliora  
fuerint reddita, & trium antea præteriorum Regum ſi  
urgeatur omissio, mors violenta (teſt. Walth. harm. ad h. l.  
rat. X.) & clades infuper ab Ifraēlitis accepta (vid. Lightf.  
Harm. pariter & Hor. Hebr. ad h. l. Matth. ubilcca 2. Reg.  
10, 30. Pf. 37, 28. Exod. 20, 1. citantur) indignos illos red-  
dicerit, qvi familia Christi numerarentur. Sed id nimis  
est frivolum, cum multi alii & nec in paſſi fuerint violen-  
tam, & cladem ab Ifraēlitis ſibi illatam ſenſerint, & vel pe-  
joribus maculis excisi fuerint, qvitamen propterea exclusi  
nonſunt, infuperqve hæc non tam Jelu Christi, qvam Jo-  
ſephī propria fuerit genealogia.

§. 7. Alii artificium mnemonicum urgent, qvo Sp. S.  
fuerit delectatus in rotundando triplici ordine qvatuorde-  
cim virorum, & cooptando triplici vitæ gerere Patriarcha-

li, Regali, & Ducali. Cum igitur Sp. S. ita agere memoriæ & ornatus causâ constituerit, tum demum omitentes fuisse tres reges, qui non potuerint commodius ullibi præteriri, quam in posteris Jorami ob maledictionem domui Achab factam I. Reg. 21, 21. 2. Reg. 9, 8. sqq. Quā sententiâ uti permoventur plurimi, ita etiam B. Waltherus Harm. Bibl. in h.l. Verum ne sic quidem sufficienter responsum esse videtur: quid enim deliciarum DEUS habet in mendacio? cum omnibus ordinibus v. 17. præmittat communem vocem universalem ~~non~~, contra quam quidquid vel per articulum ~~et~~ emphaticè sumtum, vel per non iteratam signi repetitionem excipitur, nimis est ad hanc tantam rem levidense. Aut quare id fiat solius memoriarum causa, cū graviora multa, multa similia in SS. reperiantur, ubi tali novo invento aliquid omittendi, quod per veritatem numeri omitti haud poterat, usum Sp. S. non videoas? Nec poterit illud memoriarum consulere, quod trium regum, quorum potestas æquæ ac reliquorum, quamdiu regnarunt, a DEO fuit, memoriam tollit. Numquam artifex est contraveritate in Sp. Sanctus: nec artificium dici poterit ejusmodi rotundatio vel insipientissimo cuique imitanda, ut rotundet numerum contra claram veritatem, si deinceps, ut res consentiat, aliqua nomina omittere velit. Ejusdem momenti esse puto cooptationem triplicis vitæ generis, patriarchalis, regalis, & ducalis, cum facile cuique pateat, patriarchale nullum fuisse peculiare vitæ, vel regiminis publicigenus, nec patriarcharum nomen ultra filios Jacobi recte ad feram posteritatē extendi, & quosdam in iis, qui patriarchæ ab illis dicuntur, principes fuisse, ac duces. Ita & in classe tertiaria ducali ut vocatur nihil fuerit difficultus, quam excludere prius Regem a dignitate regia, & reliquorum ducalem dignitatem vel ullo arguento sufficiente tueri. De male-

dictio-

ditione verò quæ adjunguntur, sanc domini Achab gravissima maledictio teruit, sed de tali maledictione, per quam omittantur à numerata genealogia tria regum nomina, Scriptura nihil novit.

§. 8. Alii tandem modestiam poscunt lectorum, ob Sp. S. reverentiam non illaudabiles, dum dicunt suam Sp. S. constare rationem, quam licet nos investigare non possumus, certo tamen fatis gravem tuissē credere possimus. Videatur J. F. Stapulensis, cuius hæc verba sunt ad h. l. *Inter Ior. & Oziam, tres medi omittuntur Oeboias, Joas, Amatas, quos quæratione Spiritus Evangelista bac generationum serie excluserit, indegnos ut censuerit, ipse novit, qui omnia novit, qui formatur profunda etiam DEI & conf. B. Calovius in h. l. Desperantis tamen hoc animi signum est, quamvis piam hanc desperationem esse, nostrum diffiteri.*

§. 9. Huic sententiæ oppositi Philonis & Annii sectatores quidam abrumpere in Joram filium lineæ Salomoneæ cupiunt, & in Achasia novam Nathanis familiam inchoant, sed illi contra clarissima scripturæ verba tam in hoc ipso loco, quam in historiâ Regum Veteris Testamenti gravissime impingunt, & ne sic quidem huic loco mediri possunt, quoniam hanc ratione ii, qui inter Davidem & Osiam numerantur, nihil ad Josephum pertinebant, nec Matthæi enim erat, reges, sed parentes Josephi numerare, qui ita tandem plures numero fuissent prætermitti, eorumque loco alii substituti, seu planè alieni. Præterea illi graviori iterum dubio impllicantur, quare, cum spatium multorum annorum inter Joram, & Osiam vitam intercesserit, hireges Osiae patres, lacunam ætatis qui poterant supplere, fuerint præteriti, & non tantum genealogia, sed & decurrentis mundi aetas reddita sit hiulca. Quamobrem hanc planè sententiam historiæ, & temporis, & juris familie pariter, ac genealogiae ubique refragantem suscipere nequimus.

§. 10.



§. io. Non possum , qvin magnopere mihi placere profitear clausularm B. Waltheri Harm. Bibl. l. c. qvam, ubi qvæ sibi præ reliquis sententia amaretur , exposuerat , talem denique facit: *Melius certiusque quid si quis ex cogitare poterit, is me sibi babebis cum tripudio & obsequio a stipulans.* Cum igitur ē tot tantisqve sententiarum pro affirmativâ dicentium divortiis facile perspicciatur , imbecillum id assertu esse , qvod tot columnæ non sustinent , sequente plerumqve aut honesta desperatione , aut meliorum desiderio , & Anniana sententia plus noceat , qvam juvet , licebit nunc recentem forte , solam tamen propter novitatem in re historica non adspersnandam aliam sententiam exponere , qvam tamen recto prudentum , ac piorum Ειελιοφίλων judicio lubentissime submittam. Atq̄ ita ad propositum Qvæstionem respondebo:

*Nullum plane omnissimum à Matthæo est genealogie Josephi membrum.*

§. ii. Probo autem sententiam meam (1.) simplicissima Spiritus Sancti enarratione generationum : (2.) continuâ usurpatione vocis ἐγένεντος , qvæ à nativâ sua significatione recedere non debet , circumstantibus præsertim undique significationis propriæ plurimis exemplis : (3.) confidentiâ Matthæi , qui sub ipsum sūt libri principium non hæc fuisset scripturus , si falsitatis notam verari debuisset à Judæis in prisca Regum historiâ optime verfatis. (4.) universalitate vocis πάντων v. 17. ab initio posita. (5.) expressa numeratione , qvod à Davide usqve ad deportationem Babylonicam (primam scilicet) sint γενεαλογίαι ( id est membræ seu capita genealogica ) δεκαπάντας q̄ vatuordecim. (6.) conformitate tesseradecadis mediae cum primâ ac tertia: primæ enim nihil deest ex suo illo numero , nec tres Bookos contra scripturam fingentibus cedere possimus: tertiae etiam nihil deest , nam Phadaja ē 1. Chron. 3, 18-19. Salathi-

eli

eli substituendus temere & sine justâ ratione contra Mat-  
thæi fidem adducitur : non ergo alia poterit contra clau-  
rum textum fangi sententia numeri cardinalis in mediâ  
tesseradecade , atq; ea qvæ in prima & tertia fuit . (7.) induc-  
tione exemplorum temere in qvæstionem deductorun  
de Booz , de Phadaja , de Jojakim , de tribus Regibus , in  
qvib; omnibus nihil dextre probatur . (8.) possibilitate  
solvendi hoc dubium salvâ manente serie genealogica  
Qvia igitur potissima in secunda tesseradecade mouetur  
qvæstio de tribus Regibus , it ēq; de Jojakimo omissis , nunc  
causam ipsam proprius sumus spectaturi , atq; ita qværimus :

II. Qvomodo Joram Oziæ pater ? five  
*An Joramus Oziæ pater Matthæo dicitur per ge-  
nerationem mediatam , nec ne ?*

S. 1.

**V**Erba Matthæi dubium hoc creaverunt , siq; videm c. 1. v 8.  
dicitur *λαεγμον ἐπιχρυσος τον Οζιαν* , Joramus verò genuit O.  
ziam , qvorum qvidem verborum sensus est , qvi nunc in  
disceptionem venit: veritas in disceptionem venire  
non debet . Illi enim agunt pessime , qvi putant à Matthæo  
confundi Ochiam , & Oziam , qvos statim à limite volu-  
mus esse remotos , qvippe cum Matthæus à Sp. Sætus ab ejus-  
modi errore plane fuerit iñmuniis , prætereaq; sat magnum  
in Hebreo discrimen sit inter Ιωαννην & Ιωάννην nec Matthæo  
potuerit esse incognita enarratio Regū Judæ 1. Chr. 3. facta .

S. 2. Confiteor autem statim , nullum me vidisse ,  
præter eos , qvi Annium è Philone seqvuntur , qvi Joramum  
Regē hic patrē Oziæ dici generatione mediatâ non putarit .  
Qvæ causa ut exponatur , de iis , qvi pro Affirmante loquun-  
tur , ab initio est dicendum . Ibi igitur Patres , qvi ad hanc  
materiam animum applicuere , mediatam generationem  
urgent , & causas conqvirunt , cur omisi illi sint , qvos gene-  
ratio illa mediatâ prætereat , in qvibus industrios se stiterunt

B hoc



hoc in negocio Africanus, Hieronymus, & Hilarius alioq;. Seqvuntur eos pleriq; recentiores. Rupert<sup>9</sup>, Salmero, Scho-  
lastici ceteriq; Pontificii plurimi. Consensū est ab Ecclesiæ,  
Reformata qvæ dicitur, doctori<sup>b</sup> unanimi ferme dicā con-  
fessione: qviq; in Ecclesiâ nostrâ in hanc rem sunt com-  
mentati, avidissimē hanc sententiam adoptaverunt, præ-  
eunte B. Luthere, cuius ad citatum v. 8. in glossâ hæc sunt  
verba: **S. Matthiūs lasset etliche Gliede aussen.** Eum  
deinde secuti sunt reliqui magnā animorum conventione.  
Alter Martinus, Chemnitium dico, Harm. Evang. Cap. 3.  
p. 58. scribit h. m. Matthæus dicit Joramum genuisse Ozia-  
m, cum constet, non immediate hoc factum, sed tres in-  
tercessisse, Ochosiam scilicet, Joam, & Amasiam, à qvō  
immediate genitus fuit Ozias. Nec oblivione aut incu-  
ria Matthæum hoc fecisse, dicendum est. Walth. in Harm.  
Biblicā in h. 1 hæc habet: Cap. eod. v. 8. Joram dicitur  
genuisse Oziam, cum ex 2. Reg. 8. v. 24. & cap. 11. v. 2.  
uti & ex 1. Chron. 3, v. 11. 12. constet, genuisse Achasiām,  
hunc vicissim Joasum, & hunc iterum Amaziam, qvi de-  
mum genitor fuit Ozia. Tres itaq; Reges intermedii,  
Achasiās, Joasus & Amazias in serie hæc genealogicā præ-  
termittuntur. Qvod Iudaïjuxta & profani alii Matthæo  
vitio vertunt. Resp. Prioris Icrupuli solutio est facilis,  
qvamvis enim Joramus Oziam non generit generatione  
immediatā, veluti alias filius à Patre suo αμετως fertur  
gigni, mediatè tamen illum genuisse recte prædicatur.  
Hoc sensu nos homines ad unum omnes ex Adamo geni-  
tos, recte affirmari potest: et sic Elisabeta Luc. 1. v. 1. dicitur  
esse ex filiabus Aaron. &c. Hæc ille. Sic Glaff lib 1. tract. 1.  
Phil. Sacr. p. m. 49. licet incidenter, *Matth. 1, 8. Joram ge-*  
*nuisse Oziam non immediatē concedit, sed medianisibus Ocho-*  
*ziā, Joā, & Amaziā, Prückn. in Vind. Bibl. ad h. 1. Joram, ait,*  
*genuit*

genuit Oziam , non quidem generatione immediata, velut  
alias filius à Patre suo immediate, hoc est, nullo plane in-  
termedio digni dicitur, sed mediate, ut atavus nep̄otem . :  
quā etiam ratione Christus dicitur filius Abrahā , & Davi-  
dis, Matth. 1, 1. ex qvō sensu nos omnes ex Adamo geni-  
tos & procreatos esse, recte affirmari potest. Addi pote-  
rant Bebelius , Brochmannus, Calovius , & plures alii :  
sed qvorsum numerus ? Vix erit , qvi dissentiat pr̄ter u-  
num aut alterum, cui Philo suppositius non displicuit.  
His igitur convenientibus id unum deliberatum est , qvā  
arte S. Matthæi fidem ita tueantur, ut contra ipsius calu-  
mniatores justas allegare rationes, vel numeri deinde sub-  
juncti certitudinem nihil oseciū possent monstrare. Sed in  
hi, porro non erimus operosi. Waltherus, Calovius aliiq̄  
ē nostris , & Spanheimius, Lighthfootus, & Polus ē Refor-  
matiis, aliiq̄ ex aliis haac operam pr̄stiterunt, qvos  
adire licebit. Nunc de sententia Anniana.

§. 3. Floruit in decrepitis Judaicæ reip. temporib⁹  
bus Philo Judæus . cuius multa habemus , & non sine fru-  
ctu legimus erudita scripta , Hebraicam pariter, Græ-  
cam , & Latinam qvoq̄ sapientiam exhibentia. In iis  
autem nuspiam reperitur Breviarium de temporibus, de  
qvo Bellarm. lib. de Script. Eccl. hæc monet: Circumfer-  
tur nomine Philonis Breviarium temporum, sed ab o-  
mnibus rejicitur, ut etiam ali⁹ historici, qvi cum eō brevia-  
rio simul editi sunt. Chema tuis qvoq̄ nostrash. l. satis am-  
plus in Philonis operibus hoc breviarium non haberiait,  
propterea qve personatum Philonem vocat. Invenitau-  
tem suppositius ille Philo obstetriciam manum Joh.  
Annii Viterbensis, S. Th. Professoris, cuius ē curā pri-  
mum Antverpiæ aliis cum scriptis in antiquitatum stu-  
diorum commoditatem (ut verba editoris referunt) sub

formâ enchyridii excusus, & deinde ē prototypo s̄epius  
alibi impressus est. Is Philonem hunc personatum lauda-  
re ausus est his verbis in Proemio ad i. lib. Philonis ; Edi-  
dit plura opera, inter quæ illud eximium est, quod brevibus &  
absolutis verbis emendavit omnia tempora ad suam restitu-  
tionem & integrum veritatem ab Adam usque ad suam ultimam  
decrepitationem ; Sob brevitudinem operis illud Breviarium detem-  
poribus appellavit, mirorque cur a Theologis sensim neglectus  
fuerit, & ab episcopis derelictus, cum ex eo pendeant multa con-  
tra Hebreos, & complura divinarum dubia litterarum eluciden-  
tur. Sed vel signoro, cur ita factū sit, aut, sc̄cio, non auſim di-  
cere. Verum quicquid laudet, ac dicat Annius, rarissi-  
mos tamen invenit, quibus personati sui Philonis fidem  
faceret, unde post varia monita Chemnitius noster in  
Harm. Ev. c. 3. p. 60. ait : Illa Anniana valde & suspecta &  
incerta esse aliquoties jam dictum est : quibus & nostrum  
calculum, quantillum etiam valere possit, addere volu-  
mus.

§. 4. Sed audiamus sententiam Philonis, hic lib.  
i. meminimus decreti David de successoribus regni, qui, cum  
orta lis esset, quis regno præcederet inter filios Davidi ē Ber-  
faba genitos, statuerit à junioribus debere inchoari, & ut  
nata proximi familia succederet, ubi naturalis posteritas  
minimi deficeret. Itaque à Salomone minimo cœptum  
esse, ejusque lineæ forsitan aliquando desituaræ surrogatum  
esse Nathanem natu proximiorem filium, ejusq; porro fi-  
lium natu minimum, qui dictus fuerit Ahiasar & Mathat,  
unde posteri ipsius fuerint dicti Ahiasarim, (autori fictitio-  
nomen hoc ē. Reg. 4, 6, sicut proximum ē Luc. 3, 31. sum-  
mum est) & Matthatim, id est, uti vult, fratres principis, & do-  
nati, scilicet jure succedendi : itemque filios regis, ac fra-  
tres ejus, qui regni heres erat ē lineā Salomonis futurus :  
quali

quali nomine à Salomonis tempore fuerit usque ad tem-  
pora Ahasiae vocata posteritas Nathan. Addit Joramum  
Judaicum primum fuisse, qui posteros Nathanis, dictos  
é lege & decreto Davidis, non vero é proximâ sanguinis  
cognitione ortos fratres, interemerit, quod, cum redi-  
tus suos é solâ tribu Benjamin antea accepissent, nunc eti-  
am é tribu Judâ à Josaphato ipsis arces & reditus annui  
contigissent. Ahasiam deinde Joram filium solum re-  
mansisse é familiâ Salomonis, & cum eô vixisse eos Natha-  
næos, quorum parentes pater Achasiæ Joramus occiderat  
hos vero ad unum omnes Achasiâ interemto necatos esse  
ab Athalia illius matre, nisi quod de consilio Jesabat, quæ  
non regis filia é Salomoneo sangvine, sed é consanguinitate  
fuerit Nathanæa, cædi præceptus fuerit Joas infans é Na-  
than ortus. Atque ita deinceps urget lib. 2. Joasum à Jo-  
jadâ conservatum, fuisse primum Regem é familiâ Na-  
than, ac deinceps Nathanæos imperium tenuisse, pluri-  
bus quidem semper nominibus inclytos. Sic Joasum di-  
ctum esse Symeon, sic deinceps Hiskiam Josen, & Manas-  
sen filium ejus Her vocatum esse. Hæc Philonianæ com-  
mentariolo suo committendare conatus est Annius, & ut  
paucis rem exponam, eum nomina Zorobabelis &  
Salathielis apud Lucam & Matthæum eo impulerunt, ut  
Salomoneam stirpem in Achasiâ cum Philone suo rum-  
peret, Nathanæam vero in throno Salomoneo colloca-  
ret, & Regibus nomine suo é V. Ti. scripturâ illufribus  
alia obscuriora nomina imponeret, quæ ex Luca depro-  
mebat. Unde Joas ipsi fit Symeon Luc. 3,30. Amasia  
Levi, Uria Matthat, Jotham Joreim, Ahas Eliezer,  
Hiskias Joses v. 29. Manasses Her, Armon Elmodam, Jo-  
fias Kolam v. 28. (litigare nunc poterit secum ipse, uter  
Jojakim esse debeat, num Addit, an Melchi, duos enim

illos Lucas v. 28. habet, ubi numerando & fratrem Joachas pro patre censendo Annus peccavit, Joachin ei est Neri v. 27. Sic Annus egregie genealogias V. & N. Testamenti conciliat! Omnia vero tandem eo abeunt, quantum ad nostrum attinet locum, Joram Regem Judæ fuisse verum patrem Achaziæ, sed non fuisse avum Joas, non proavum Amaziæ, non abavum Usiæ, atque ita Usiam plane non fuisse è posteris Jorami. Quali interpretatione quomodo Matthæus salvari queat, exprefse scribens: Ioram genuit Usianus; id profecto nullâ ratione percipi potest, cum ex Philone illo personato, & Viterbensi Annio Ioram nullâ generatione neque mediata neque immediata Usiam generuerit. Solum hoc argumentum contra Pseudophiloneum Annianum sufficit. Aut enim errat Matthæus Philoni inconciliabilis, aut errat Philo & cum eō Annus. Matthæum vero a Spiritu Sancto actum errare, quis quæso patiatur? præsertim cum in primis N. T. temporibus Matthæus ista scriperit, nullo Hebreorum tum temporis contradicente, & fidem historicam accusante, quantum nobis quidem ex antiquissima historiâ constat. Annus igitur suo cum Pseudophilone, nullam nec mediate, nec immediate factam Uziæ à Joram generationem concedente, ac totam S. Matthæi genealogiam labefactante removendus omni jure manet.

S. 5. Non desinunt tamen satis arduæ se offerre rationes, quare sententia illa de generatione hic intelligendâ mediata simplicem assensum intellectus, de veritate & veritatis hostium confutatione solliciti, non tam facile obtineat. Non diffiteor, si nulli forent, qui famam & fidem S. Matthæi, & per eum totius Evangelii impugnarent, tutò hanc disputationem præteriri posse apud eos, qui Italia magno sudore digna non æstimator, & credentium animos non

non putant facile dimotum iri à veritate fidei Christianæ propter ejusmodi nodum, in quo dici posset: Quantum est, quod nescimus! item illud: Sunt, quæ nesciri sine pudore possunt; sunt quoque quæ nesciri etiam cum gloriâ possunt. Verum cum lector veritatis cupidus, & justâ bilance Verbum DEI adhibito Verbo DEI ponderans tali in scopulo saepe sibi ipse sit molestus, & caro ac sangvis non raro contraria iritum lactam tollant idque apud renatos & credentes, ac Diabolus vel per subitò objectas cogitationes, vel per aliorum maledicarum dictarum aut scriptarum nos tentare non desinat, & calumniatorum Verbi Divini non parva sit copia: sic existimo, non esse stucium conciliationis per ipsam. Scripturam inveniendæ nisi laudandum, si caveatur naufragium fidei, & sana sententibus conciliatoris se permittrat opinio, & omnia modeste fiant. Qvibus adhibitis cautionibus genealogiam præteriens Heinrius in Exerc. Sacris ad Matth c. i cum scripsisset, se contentum, esse illo Ambrosii ad Lucam: *Non licet mihi scire generationis seriem; non licet tamen nescire generationis fidem;* deinde subiungit: qvamvis industriae eorum, qui hic operam & nostro tempore, & olim posuerunt, unicè favemus.

s. 6. Qvod igitur ad quæstionem attinet, in negativam sententiam magis inclinari posse, existimo, scilicet *Propter usum patrem non esse generationem mediata, sed immediata.* Qvam qvidem ad præferendam sententiam sequentia me impellunt momenta, quæ judicio eruditorum ponderanda concedo. *Primum* longè exploratissimum nobis Christianis est, Matthæum scripsisse actum à Spir. S. atque ita non pro voluntate suâ, quod velut homini lubebat, scripsisse, sed pro voluntate divinâ, qua ipsius animum, manum,

num, calatum infallibili curâ regebat ac movebat. *Se-*  
*cundo*, non minus exploratum est, expressissima esse ver-  
ba Matthæi: ἡμεῖς δὲ οὐέντες τὸν Οζίαν, Joram vero ge-  
neravit Oziam: qvorum verborum contra veritatem ni-  
hil valet objectio de errore librariorun, & varietate codi-  
cum; cum nullus simpliciter codex aliam lectionem exhi-  
beat, & talia facile dicantur, difficulter commonstren-  
tur. *Tertio* id etiam in confessio est, vocem ἡγένησιν  
hoc Matthæi capite creberrimè occurtere, & ubique signi-  
ficare generationem immediatam filii ē vero suo patre,  
planè nullō locō renuente, aut aliud permittente: nec  
*quartò* dubium esse potest, hanc veram, propriam, & ge-  
nuinam esse yocis significatiōnem, à qvā recessio non ita  
facile permittenda. *Quinto* planè in apricō positum est,  
Matthæum non tantum exposuisse ordinem generatio-  
num, & membrorum totius serie, sed & v. 17. ad exclu-  
dendam omnem erroris suspicionem divinā profecto ob-  
servatione totam genealogiam in tres ordines distribui-  
se ab Abraham ad Iesum Josephi filiū legalem, atq̄ credi-  
tum, qvæ triplicitas distincta ostendit sublimem qvam-  
dam rerum istarum curam. *Sexto* accedit numerus pla-  
nè æqualis observatus, & terna repetitio vocum *τρεις δοκ-*  
*τούπες*, qvī numerus sine erroris gravissimâ specie non po-  
test detorqueri contra numeri naturam ad septendecim,  
nec sine ludibrio qvodam dici, Spiritum S. voluisse mediæ  
clasti numerum æqvalem cœteris confidere, cumq̄ id  
fieri non posset, Eum extrusisse tria nomina, ut ita memo-  
riæ humanæ succurreret, cum in magno hominum Chri-  
stianorum numero vix invenias, qvi illa nomina avide  
ediscant. Accedit *septimo* limes expressissime ab ultra-  
qve parte positus, quando dicitur: *Ἐντὸς Δαβὶδ ἦν τὴν*  
*Ιουδαϊκῆς βαθυλῶις, γενεὰ δεκατέσσερες*, per qvem utrum-  
q̄ ve

Que terminum non permititur lectori suspiciuncula, qvæd aliquid  
sit omissum, sicut & re ipsa id nemo suspicetur, nisi ipsi aliunde du-  
biū crearetur. **O**rgano memorabilis est in v. 17. vox **מִתְעַד**, qvæ si-  
gnū universale à fronte totius versus ponit, accipienda de toto  
serie omnium in triplici illa clāſe recensitorum Virorum, neque  
enī pertinet ad ſolam primā clāſem, ſed eam ipam ob causam  
primo initio ponitur, & distributioni per **שָׁבֵת**, **יְהוּדָה**, **גָּזֹבָה**  
præmittitur, ut ad omnes clāſes pertinere intelligatur. Sicut & **נוֹנָה**  
particula **לֹא** non infrugifera, nec ocioſa eſt, ſed continuam mem-  
brorum expofitorum cohaſionem ita qvaſi reperit, & complectitur,  
ut confequens tota oratio, & numeri computandi iusta veritas, e  
præcedentibus exploratissime pendere ſentiatur. Premit hoc **decim**,  
qvod non auditum fit ē ſeculo primo, umqvaq; a qvoqvam accu-  
ſatum eſſe Matthæum, qvod tres illos Viros omiferit, qvodve cauſa ab  
ipſo illius omissionis sit exacta, præcipue cum Hebreis in genealo-  
giā foleriffimè verfantibus Matthæi Evangelium occultum eſſe non  
potuerit, qvī totam viſ fidem non blasphemare tantum, ſed & la-  
betaſtare magnā cum ſpecie & induſtria ſignificatione ſtudiuſſent,  
ſi verē factam hanc trium nominū omissionem accuſare potuſſent.  
Unde tum temporis apud Hebreos eandem, qvam Matthæus hic  
explicat, vigiſile ac dubitatione caruſile genealogiam, ubi accu-  
ratus inſtitueret, dubitare nōlim: imo non parvi id facio, qvod  
poſt tot ſecula maledicentissimus Judæorum R. Isaac ben Abraham  
in blaſphemō ſuo adverſus Christianos libro **רָאוּ כִּי אַפְּתַח** qvod ſi  
gnificat Munimen fidei, Matthæum hic non fecerit falſitatis, aut er-  
roris reum, ſed hoc dubium plane prætermiferit, primā accuſatione  
contra Matth. 1. v. 15, 16. coll. Luc. 3. 31. facta... **Unde** cimē obſer-  
vo, qvot Viros longē prudentiſſimorum & ſumme induſtriorum  
ingenia ſe exercuerint in inveniendis rationib; qvare illa nomina  
ſunt prætermiſſa, qvodve tandem omnes vel in diſperſatione qvā-  
dam honestā, vel in anxiō meliorum deſiderio meditari deſierint,  
nec umqvaq; hic ſili ſatiſtecerint, aliis fortalſe malto etiam minus:  
**Q**væ omnia cum probe penſito, & duod. cimē vestigia veritatis hu-  
juſ etiam in V. T. exſtare video, hucusq; non poſſum, qvin Matthæo  
ſimpliciter aſſentiar, Joramum Iosaphati filium eſte genitorem Uſi-  
lli, qui Jothamum generavit, interq; illum Joramum, & hunc

C

Oſiam

Ostiam non esse ullam intercedentem generationem, atque ita revera Davide ad Jojakimum, seu Jechoniam Primum, qui tres fratres habuit, accuratè esse quatuordecim *et ceteras*, seu generationes, id est generationis membra seu capita.

§. 7. Quia dixi de vestigiis in VIT. sese demonstrantibus, nolo frustra & in casum dicta cuiquam videri, ideoque eadem detegere nunc allaborabo. Primum autem vestigium deprehendo in ministris domini Achab per Eliam nunciatis. Reg. 21, 21-22. Ecce ego adducens ero in te malum, & auferam posteros tuos, & excidam Achabum in gentem in pariete, & clausum & derelictum in Israël, & dabo domum tuam sicut domum Jarobham filii Nebath, & sicut domum Bascha filii Achijah, contra irritationem, quam irritasti & peccare fecisti Israël. Quidam verbi universalis extinctio totius posteritatis Achabi certo futura, nec avertenda innuitur: cuius adeo memor DEUS fuit, ut per Eliam feligeret quendam filium Prophetarum, qui Jehu ducem militum regem ungeret in Achabeam familiam extirpum, cuius ex ore haec ad illum Jehu venit divina voluntatis significatio. Reg. 9, 7-9. Percuties domum Achab domini tui, & ulcicarego sanguines servorum meorum prophetarum, & sanguines omnium servorum Domini de manu Izabel: & peribit omnis domus Achab, & excidam Achabum in gentem in pariete, & clausum ac derelictum in Israël & dabo domum Achab, sicut domum Jarobham filii Nebat, & sicut domum Bascha filii Achijah. &c. Quidam quanto fervore effectum sit in Israëlitico regno per manus iussum Jehu est. R. c. 9, & 10. clarissime patet. At vero non continebantur istae minæ solis terminis regni Israël, sed in regnum quoque Jehuda transiit habebant, quoniam Achabi & Izabelis filia Athalia Joram et Iosephati filio nups erat. Reg. 8, 18, 2. Chr. 18, 6, & ad ultimum usque; Dei fastidium Israëlitica scelerata in dominum Iuda introduxerat. Quamvis autem Deus dominum Davidicam noller extinguere. 2. Chr. 21, 7; ob promissum Davidi factum, & Joramum ipsum, qui non erat ex Achabi, sed Davidis familia genitus, statim haud deleret; minæ tamen in Achabi posteros simpliciter delendos effulsa non indormierunt, nec, ut Scriptura verba inducam, temere in terram sunt relapsi, sed consummatæ sunt in exitio filiorum Jorani. 2. Chron. 21, 17. in cæde omnis superstitis filii Achab: coronati iam regis c. 28, 9. in nepotum Jorani.

Joramī frage c. 22, 8. 10. in obturcatione conjugis Joramī viduæ c. 23, 15. 21. in interfectione Joæ nepotis Joramī c. 24, 15. ejusque magnatum ac liberorum v. 23. 27. in occidente Amaziae pronepotis Joramī c. 25, 27. cuius liberi omnes abduicti sunt v. 24. ita ut nullius unquam reverti illa fiat mentio, quod suspicionem clavis interneçiae auger, suffragante præsertim divinâ indignatione superius ē i. Reg. 21, 21. 22. & 2. Reg. 9, 7. - 9. recitatâ Atque huius illi sunt A. chasias, Joas, Amasias, Athalia Achabi filia filius, nepos, prœnepos, quos Matthæus prætermisſe fertur documento non contemndo, in his viris à Joramō Athaliam Marito genitis desistit ultimos ex Achabi linea, ipsiusq; Joramī Regis illam lineaā (quamquam propterea Salomonis per Josaphatum linea non deserit) intercidisse, sicut Dominus prædicti jussicerat, atq; interminatus fuerat. Fundamentum igitur hoc est valde firmum: si extingvi debuerunt omnes posteri Achab, & omnis domus Achab, ad similitudinem domus Jarobham & domus Baëlcha, ut Achabo nemingens quidem ad pariem relinqui debeat, nec quisquam planè vel milerrimus in Israël; propago ipsius per Athalam non potuit nisi penitus extingvi, etiam in regno Iudeæ, licut & Iupra adducta exempla, id clarissime ita contingit, demonstrant.

§. 8. Alterum vestigium invenio in interregno inter Amaziam Regem Iudeæ & ejus successorem Ussiam sati diuturno, quod non intercessisse mihi persvadeo, si Ussias Amaziae verus & naturalis filius, ab eoq; genitus fuisse. Scilicet omni dubio vacat, quod Amazias Rex Iudeæ fasces Regni acceperit anno Joæ Israelitici secundo, quodque regnaverit annos viginti & novem 2. Reg. 14, 1. - 4. Dubio quoque vacat, quod Jeroboam Secundus Rex Israelis renunciatus sit anno regnantis Amaziae decimo quinto, quodque regnaverit annos 40ginta & unum 2. Reg. 14, 23, quodque Amazias Jeroboamo secundo inter Israelitas regnante, regno Iudaico adhuc præfuerit annos quindecim 2. Reg. 14, 17. Ex quo conseqvitur, quod Amazias Rex Iudeorum fuerit moriū anno Jeroboami secundi decimo quinto exeunte vel anno decimo sexto ineunte. At vero Ussias ejus successor a populo constitutus rex est anno Jeroboami II. vigesimo septimo 2. Reg. 15, 1. cum esset juvenis annorum secim. Ergo ab anno decimo sexto Jeroboami II. ad annum ejus-

dem Jeroboami II. vigesimum septimum nullus Rex fuit Iudea,  
sed (quod ante inauditum) interregnum fuit undecim annorum.  
Quæ qvidem res satis arduæ est indagationis, quænam cau-  
sa fuerit, cur interregnum inciderit in Judaicarum rerum admi-  
nistrationem. Nihil tunc fuit hostilis metus, aut violentia, quod  
impedierit, quantum è sacris discimus: nec erat rainorenitas  
Uias, quæ obstabat, cum regnum Iudea regem in Joā vidisset  
septennem. 2. Reg. 11,21. 2. Chron. 24,1. & cœla tamen interfusse  
debet, quo minus Uias regnum non susciperet, nisi natus annos sede-  
cim & vides XI. annorū interregnum. Illam igitur existimo causam  
esse, quod Uias Amaziae filius non fuerit naturalis, sed proximus tum  
temporis agnatus, atq; è Salomonis ac Joaphati linea recte qvidem  
descendens, diu tamen dilatus, si forte proximior reperiiri qvivisset.

S. 9. Colligo vero illud è variis etiam aliis argumentis.  
**Primum** est, quod alicubi debeat esse terminus linea ex Achabo  
per Athalianam filiam descendensis, qui si hic non figuratur, nullib;  
commodo figi potest. **Alerum** est, quod 2. Reg. 14, 14. & ite-  
rum 2. Chron. 25, 24. constanter assertatur, quod Joas Rex Israhelis,  
ab Amaziae provocatus, & victor visti regis liberos secum abduxe-  
rit, obfides fidei futuros. Deinde qvidem mentio fit mortui Joas  
Israhelitæ, qui victor fuerat: fit quoque mentio Jeroboami successoris:  
fit etiam mentio diuturnæ vita Amaziae, qui 15. annis victorem su-  
peravit: nulla autem fit mentio reducum aut liberatorum filiorum.  
**Tertium** est, quod morte Amaziae exposita nulla ordinaria succes-  
sio facta legatur, quæ tamen facta fuisset è sancto regalis linea ju-  
re, si quis filiorum Amaziae superfuisset, ut metus sit non vanus  
eos perisse, sicut minatus erat DEUS posteris Achabi, sive sicca sive  
cruenta morte perierint, certè in patriam eos nunquam rediisse.  
Hinc mortuo Amaziae interregnum succedit, cum eatenus non au-  
ditum fuisset, Regi Judeæ successisse regem quemdam, qui filius non  
eret; unde fine dubio heres filius, si quis usquam supereret aut  
forte effugisset è custodia, expectatus fuit, eaque exspectatio con-  
tra populum Regis cupidum à magnatibus regnum administranti-  
bus non sine magnâ specie allegari potuit. **Quarum** est,  
quod iniurata eousque in successione formula hic legatur: ET  
PREHENDERUNT UNIVERSUS POPULUS IHUDA AZA-  
RIAM

RIAM (seu Ufiam) & ipse natus erat sedecimi annos & regnare  
voluerunt eum loco Patris ipsius Amazia 2. Reg. 14, 21. quæ eadem  
verba etiam 2. Chron. 16, 1. leguntur. Quid illâ singulari for-  
mula, inusitato plane stylo & exemplo adjuncta, opus fuisset; nisi  
quid specialius tunc contigisset circa coronationem Ufiae? quod qvi-  
dē, nullâ alia per Scripturâ cognoscibili ratione existente, non ma-  
le existimat fuisse ratio agnationis, per quam deficiente naturali  
filio coronatus fuerit legal s filius Ulias, & yana per tempus unde-  
cim annorum expectatio prolis ab Amazia descendens, quæ id  
conusque impediverat. Quinum est, quod Amazias ad Ufiam rela-  
tus bis in sacris Rex dicarur, nimirus 2. Reg. 14, 21. Ipse (Ulias) edi-  
ficavit Elath, & reverti fecerat eam ad Iudeam, postquam occubuerat Rex  
(Amazia) cum patribus suis. Similia plane leguntur 2. Chron. 26,  
2. Profectò haud frustra id enarratur, juuenem Ufiam post mortem  
Regis occupasse & regno Iudea restituisse opidum Elath, id est ut ea cir-  
cumstantius videatur, tu temporis, cum nondum coronatus erat loco  
Amaziae. Haud frustra sane Rex dicitur de Iudea, qui si verus ge-  
nitor fuisset, non sine connexione rerum dilucidiore pater ejus acci-  
constanter potuisse. Quid enim facilius aut commodius erat, quam  
sic scribi: Ipse (Ulias) edificavit Elath, & reverti fecerat eam ad Iudeam,  
postquam occubuerat Pater ejus (Amazia) cum suis Patribus. Qui-  
bus ita positis ac pensatis mere lubet subscribere Matthæo, quod  
Ozias non fuerit genitus ab Amazia, sed potius à Joram o quodam Jo-  
laphati filio posthumo forte, certe minimo, & ad regnum non evecto.

S. 10. Hæc sunt, quæ de negocio disputari possunt Veritas Matth.  
& V T. explicetur. Quæ contra hac obicienda videntur; (a) de nominis  
bus patribus 2. Reg. 15, 1. Et filii 2. R. 14, 21. 2. Cbr. 26, 1. 4. sed ad legem expo-  
nendis; (b) de genealogia 1. Chr. 3, 1. sed regaliac legali potius, quam  
naturali; (y) de intercessione temporis longioris, quod Joram privat  
senium conciliat; (d) de duobus filiis Josaphati iuxtorumque, quod è  
1. Par. 3, 6, 7. & Par. 21, 2. & 1. Par. 3, 15. coll. 2. Jer. 22, 11. 12. rollitur; (e) de silentio  
scripturae 2. Chr. 21, 2. quæ minimū & posthumū forte ob circumstan-  
tias prætermittit; (s) de omnium fratrum cædel. c. v. 4. quæ ad præ-  
cedentes v. z. est restringenda uti Judic. 8, 30. 31. coll. c. 9, 2, 5, 18. item  
2. Reg. 11, 1. z. & 2. Chr. 22, 10. 11. (f) de tessera decade media non futura  
regali, quod Matthæus non intendit; (b) de multis extra Scripturam  
populatis

*postulatis ac precario dandis*, qvod idem & in aliis qvibusq; conciliatiō-  
nib; reqviritur, cum h̄c una hypothesis: *Joramum Ioramī Regis frā-*  
*etrem quendam pōbūm, certe minimum vixisse*, totum negotium di-  
lucidet: ea rem non tollunt. Pro immediatā autem generatione  
*Uīz à Joramō sic argumentari licebit*: *Qicunq; ita dicitur*  
*alterum genuisse, ut ab Evangelistā Sp. DEI habene illa generatio non*  
*nisi pro unā accipiatur, & numeretur, ille non potest esse alterius pā-*  
*ter mediatus.* Sed *Joramus Oziam &c. E.* Atq; hāc in sententiā per-  
sistere lubet salvis disputatis, qvæ sic gesta esse, ut acerbē defendi haud  
est opus; sic negari nequit potuisse ita contingere, & varia olim fu-  
isse cognita, qvibus militari posset, si eorum cognitio ad nos venis-  
set. Sufficiat illud, non videri Matthæum qvatuordecim *gavæc*  
numerantem vel unicam prætermisſe. Sequitur nunc qværendum

**III. An Jojakim sit omisſus à Matthæo, necne?**

S. i.

**A**ffirmativam qui seqvuntur, eorum pars ex errore Matthæi  
ita factum esse existimat, siquidem Jojakimum, & Joachinum  
ab illo confusos esse ferunt. At præter id, qvod injuriū surat in S.  
Scriptorem, hoc qvoq; accedit, qvod nihil pro se argumenti ha-  
beant præter (1) unicum *l'evi* nomen, & (2) omisſam mentio-  
nem generationis Jojakimum & Joachinum intercedentis. Ve-  
rum, qvod ad (1. attinet, res in portu est, qvoniā & V. Tum nomi-  
na valde similia interdum planè eadem ratione solet exprimere, sicut  
qui i. Chron. 15, 5. Elpalet hebreicē dicitur, atque ita ab Eliphaleto  
v. 7. distinguitur, eidem æqvè ac alteri i. Chr. 3, 6. Eliphaleto  
nomen est. Sic qui i. Chron. 15, 5. Elisua dicitur, ut ab Elisama  
v. 7. distingvatur, is eodem libro c. 3, 6. nullâ differentiâ Elisama  
æqvè ac alter vocatur. Qualia exempla non sunt rara. Imo in scripto  
Græco 3. Efr. 1, 34. Joachas seu Jochanan qvoq; vocatur Jechoni-  
as. Quid mirum igitur, si intercedente tam levi differentia non  
significationis, sed duarum literularum, pro Jehojakim, & Jecho-  
jachin qvoq; adhibeatur idem nomen per rem ipsam, & histori-  
am satis distinctum, ut non unum, sed duos viros significari sta-  
tim pateat? Ad (2. facilis est responsio, qvod, cum vocis *ézivyye*  
repetitio inter cetera qvidem membra genealogica sit constans,  
propterea tamen Matthæum nihil presserit, ut in initio etiam tesse-  
rade.

radecadū ita faceret, quā in re suā usus est libertate. Sic in primæ tesse-  
radecadis principio non facit mentionem, à qyonam genitus fit A-  
braham, facile unoqvoque vidente, patre eum destitutum non fu-  
it in secundæ autem initio, cum Davidem repeti opus non esset, li-  
berè tamen regiæ forsan dignitatis non adqvīsitæ tantum, sed & glo-  
riosè ad posteros transmisla, itemqve Bathsebæ commodius nomi-  
nandæ caufa Davidis nomen repetit, cum solius Σολημαν̄⁹ men-  
tio sufficeret, facile unoqvoque intelligente, si ita scriptum esset,  
Salomonem à Davide genitum esse. Quā igitur libertate Davi-  
dem repetit in illâ fronte, eadem libertate in rōnte tertia non re-  
petit nomen Jechonias prioris, uneqvoque literarum Hebraica-  
rum gnaro fatis recte sensu, Jechoniam posteriorem non sine pa-  
tre tuisse, sed à Jechonial priore natum esse, maxime cum stylī ra-  
tio hæc durior fuisse: *Josias genuit Jechoniam fratres ejus circa  
captivitatem Babyloniam; Jechonias autem genuit Jechoniam: post ea-  
captivitatem verò Babyloniam Jechonias genuit Salathielum.* Unde  
patet non liberè tantum, sed & recte Matthæum id nominis omis-  
ſe, qvod calumniatores ipsius vane putant repetendum fuisse.

S. 2. Alii sentiunt, vitio librariorum patrem Jechonias omis-  
sum esse, qui putarunt obsimiliudinem nominum Iojakim, & Ioa-  
chin, idem nomen Iechonias ortio bis possum tuisse, atque ita al-  
terum expunxerint, qvam sententiam Hieronymo & Epiphanius de-  
beri afferit Chemnitius noster in h. l. Adducit Is præterea Stapulen-  
sem, qui annoteat *veruissimum quoddam exemplar ita babere: Josias  
genuit Joachim: Joachim genuit Jechoniam: ac deinde addit: Et hæc  
vera ratio est.* Alias enim una persona deesset sive secunda sive tertia  
tesseradaci apud Mattheum, si recte renumerenrur. Ad similem co-  
dicem vetulam provocant Stephanus, Robertus, & Henricus filius,  
eamqve lectionem commendant Parcus, Maldonatus, & è nostris  
Prucknerus ad h. l. cui vix dubium est, qvin lectio hac: Ἰωακεὶς ἢ  
ἴγεννος τὸν ἴαχειμ, ἴαχειμ ἢ ἴγεννος τὸν ἱεζονίαν, probatis-  
sima sit, & plane genuina. Beza verò codicis sui veruissimam autori-  
tatem fretus (qui si fidendū, qvia unus ille non invenit similem ob va-  
riū à reliquis Codicibus discessum, solus inde ab Apostolorum ævo  
incorruptus manserit oportet) illam lectionem tanti fecit, ut in ver-  
sione sua expresse ita scriperit: *Josias autem genuit Iakim, Iakim*

AHILBE



*autem genuit Jechoniam & fratre eius in deportatione Babylonica.*  
Superius quoque Epiphanius citavimus, cuius ad fidem alii hæc  
supplementa Spanh. in Dub. ad h. l. *Jechonias vero genuit Jechoniam.* Sed ab hac utraqve sententiâ, & emendatione stare non  
dum possumus, quoniam antiquissimæ Versiones Syriaca, Arabica,  
Vulgata, & alia constanter ordinariam Græcam lectionem sequuntur:  
tum etiam infinita cohors exemplarum MStorum, & Impres-  
orum Græcorum amicissime conspirat. Qvod verò allegatur de  
defectu unius membra, id aliter esse conspicitur illi, qui, ut fas est,  
*Jechoniam patrem intelligit v. ii.* in qvō recte constituitur secundæ  
tesseradecadis membrum decimum & quartum: & v. 12. *Jechoniam*  
filium, qui primum tertia classis est membrum. Qvod ad  
facilitatem errandi contra librarios dicitur, id speciem habebit in eâ  
lectione, quæ Epiphanius, non in eâ, quæ Stapulensem, Ste-  
phanos, Bezam sequitur, quia inter *Ianuam* & *Iechoniam* tanta est  
differentia, in quâ librarius haud facile erret, maximè in tanta co-  
dicum descriptorum copiâ. Sed de Codice Bezæ antiquo multa  
sunt, quæ suspicionem movent.

§. 3. Alii Matthæum ipsum rectè putant omisisse Jojakim, tum propter peccata, tum propter asinum sepulcrum, *Jer. 22, 8.* quippe qui dignus luctu, & sepulturâ non fuerit, mul-  
to minus genealogiâ Christi. In hunc sensum ex Harm. Lightfooti  
hæc habet Polus: *Responde ergo sic legitur, prout & Kimchi legit ad*  
*1. Chron. 3, 15. Josias genuit Jechoniam, nepotem sc. ipsius ex vatre Ioa-*  
*ebim.* Ita & Bebelius in Eccl. Evang. & Jud. Artic. VI, sect 2. §. 16.  
pag. 403. *Eadem*, ait, *responso est, nempe Josiam mediate genuisse*  
*Jechoniam.* Verum ne id quidem valere poterit, si observetur, qvod  
hac ratione aut media, aut tertia tesseradecas necessariò frustretur  
uno membro, (qvod Maria nomen ex sententiâ Alexandri Thysii nu-  
merandum non corrigit) atq; ita v. 17. errore prematur. Accedit, qvod  
peccata ex genealogia non existant, sic enim pauci genealogiam illâ  
ingredi debuisent, & quem natura ab illâ genealogiâ non excluderet,  
quare eum scriptura eset exclusura velut indignum? Sepulturæ au-  
tem aut privatio, aut vilitas non excludit, sicut Usiam non exclusit  
lepra, nec alios alias infelicitatis lacrymosa eventa. Kimchius ve-  
rò ad hanc rem plancere nihil afferit.

§. 4. Praferimus igitur recte cum Walthero nostro, in  
Harm.

Harm. Bibl. ad h. l. qvi alteram de librariorū corruptione sententiā  
sibi qvondam placuisse candidē fatetur, multisq; cum aliis, sententiā  
hanc, Jechoniam Matthæi priorem esse Ichōjakimū, & alterum esse  
Ichōjachinū, ut ita membrum nullum sit omisum, nullū inseren-  
dum. Id probat (1. historia de fratribus Ichōjakim, qvorū h. l. fit  
mentio. (2. Matthæi clarus sermo, qvod Josias cum generit,  
cujus verbi prima significatio hic sp̄herni non debet. (3. notabilis  
confusio membrorum, cum, siqvid interponitur, in media 15. in ter-  
tia 13. membra sint fūura. (4. conservatio qvatuordecim membro-  
rum à Matthæo determinatorum. (5. constantia an iqvissimorum  
Codicum. (6. remoto omnium, qvæ afferuntur, difficultatum. Qvā  
in sententiā propterea adqviescimus. Quæritur autem

IV. Qvare v. II. fit mentio tñr Αδελφῶν ḥ̄xovis sive  
*An Fratribus Jechonie falso ac temere v. II. si mentio, necne?*

s. I.

**P**ro affirmativa temere qvidam contra Matthæum Evangelii  
stat afferunt, notabilem hic esse ejus lapsū, qvod Jechoniz  
fratres tribuerit, qvi tamen fratres non habuerit. Qvod ut  
probent, afferunt (1) qvod si Jojachin habuisset fratres, sine dubio  
Nebucadnezar illi sufficiet fuisse t aliquid è fratribus, qvi tamen  
abducto & captivo substituerit Regem patruum Zidekiam z. Reg.  
24. 7. 2. Chron. 36, 10. ubi frater per patruum est explicandus, sicut  
id demonstrat Jer. 37, 1 (2) qvod nullibi, nec 2. Reg. 24. nec 2. Chron.  
36. nec 1. Chron. 35, 16. Jechonia fratres tribuantur. Verum si gra-  
viora non afferunt argumenta, Matthæum sine ratione inculant.  
Nos qvidem ipsis ultrò cibimus, Jechoniam Ichōjakimi filium nulos  
habuisse fratres, & tamen nihil peccatum à Matthæo videmus. Ut  
verò videant, imbecilla esse, qvæ obiciunt, argumentum ipforum  
primum à ratione politica frustra ducendum est: qvid enim torre mi-  
rum, si Nebucadnezar Jechoniz victor patruum potius seniorein,  
qvam fratrem paucorum annorum regno voluisset præficere? Non  
peccasset in jus belli, qvod ipsi licentiam longè majorem permit-  
tebat; non in salutem publicam, cum pluribus annis plus experien-  
tia & providentia & constantia sperari posset. Sed præter hæc  
aliud de alio Zidekia ipsis fratre ista intelligunt, ut Piscator apud Po-  
lum ē 1. Chron. 3, 16. qvā de re statim. Altera, qvam afferunt ra-  
tio, petitia silentio scripturæ, in utramque partem nullius est pretii.

D

s. 2



§. 2. Alii negativam tinentur; scilicet nec falso, nec sine ratione Matthæum mentionem fecisse fratrum Iechonias. Sed veritate ostendunt haud feliciter, qvibus iste Iechonias est Iojachin, et si falsitatem senvore (I) studeant ex eo ipso loco, qvi contra illos assertur 1. Chron. 3, 16. Polus in Synopl. Critic. è Gomaro & Piscatore; eum in finem hæc profert: *quoniam contrarium inde deduci posset; verba enim sic reddenda sunt: Filius vero Iehoakimi; Iecho-nia filius ejus (subint. &c.) Tsidkia filius ejus; Nam si Iehoakim habuit filios; ergo Iechonia filius ejus habuit fratres, aut sicut fratrem Tsidkiam & posteros ejus, qui fratres vocantur more Hebreorum Gen. 33, 8. Collat. cum Gen. 11, 31.* Alii vero (II) hæc dicta putant de Joachini agnatis, sive patruis, Joachaso, Sedecias, Sallumos. Chr. 3, 15. uti & Sedecias frater Iechonia vocatur 2. Chron. 36, 16. (qvem in fine apud Polum allegatos video Piscatorem ex Junio, similiter Brugenferm & Maldonatum, itemque Junium Paral. 2.) sive nepotibus ē fratre. Venum haud placent illæ sententia de Iehoachino, ad qvarum (I) resp. non esse probatum, qvod Iehoakim filios habuerit; namq; in Genealogiis V. T. tamē esse, ut virialicujus filio unius vel unigenito nihil omnis præponatur ista vacula נָכְרַת uti patet Gen. 46, 23. Num. 27, 42. 1. Chron. 2, 7, 8-31. c. 4, 15. c. 8, 3, 12. &c. idq; qvia sub uno filio simul continetur spes posterorum: qvalem in uno illo Iehoakimi filio Iechonia etiā exitus probavit. Ita & sub intellecione copula inter Iechoniam & Tsidkiam caret fundamento, qvoniā in Genealogiis vox נָכְרַת regulariter filium ejus dicit, qvi proxime præcedit, unde sicut Iechonia Iehoakimi, ita Zidekia Iechonias filius est habendus non obstante voce נָכְרַת qvæ Jer. 22, 30, legitur, ē qvæ Lightfot. H.H. in Matth. h.l. concludit, Iechoniam reverā huic אֶתְנָהָר, qvod qvidem adeò falso est, ut Zidekias junior ei regnanti potius fuerit natus 1. Chron. 3, 16. uti captivo alii sunt nati v. 17, 18. unde Jer. 22, 28. ipsi prænuntiatum est, qvod abicitur alio ipse & semen ipsius. Cum igitur hinc pateat Iehoachinum Regem ante captivitatem non fuisse אֶתְנָהָר, Zidekias l.c. non pro fratre, sed pro filio est habendus. Ad II. resp. planè incongrue fratres accipi de patruis: quid enim magis est absconsum qvam talis genealogia: Iohas gignit Iechoniam nepotem, & illius fratres, id est suos filios, illius patruos; qvam vano ἐγένετο.

VII. 08.



*¶* hic tribuitur in continua genealogia? Omnia nimis dura & minus commoda. Sin de nepotibus ex fratre intellectum velis, nullus nec frater, nec nepos ex fratre ostendi possunt.

§. 3. Qvoniam igitur nulli fratres Iehoachini queunt produci, non leve illud argumentum est, alium Iechoniam quaren- dum esse: itaque omnino fas est, ut Iehoakim, seu Iechoniae Primi significatis esse fratres, agnoscatur. Sicut enim ipsa veritas docet (1) Iosiam immediatâ generatione genuisse Iohakimum, ita & (2) verum est Iehoakimum habuisse fratres Iochananem, seu lo- chasum, Zidekiam & Sallum, ac (3) hac ratione omnia sunt clara, cum fratribus mentio Iechoniam Iechonia distingvat (4) salvus manet natura & genealogorum membrorum ordo: & (5) in Mat- thæi illa serie planè nihil desiderari amplius potest. Atque ita pro- batum est, Iechonia fratrum mentionem falsò non esse factam: ostendemus nunc etiam, mentionem eorum in hac genealogia non esse temere, aut sine gravi ratione factam.

§. 4. Solent autem rationes, quare eorum fiat mentio, sequentes allegari: (1) ut sic Pater a filio distingvatur: (2) ut ob- servetur, omnes ferme illos regnum Christi renuisse: (3) ut sentia- tur, omnes unius pii patris Josie filios fuisse impios, communique culpa nobiles: (4) ut populi Iudaici mutationes his viventibus pe- derentim oborte tanto curatius pondererentur: (5) ut illo- rum omnium funesta & feralis calamitas cum regni exitio ac fine conjuncta ante legentium oculos versetur,

§. 5. In quibus rationibus aliae aliis præstant. Id vero monen- dum, Matthæum hæc vere consignavisse, ut ostenderet, justo or- dine jus regni Israelitici ad Josephum descendisse, (unde & v. 20. inducit Angelum, qui cum vocat filium David, i. e. hæredem regni) atque Iosepho curam terrenam, Christo vero Israels Regi ne- cessariam, a Deo sapientissime demandatam esse. Jam vero stirpe hu- jus Iosephi dum describit, memorabilis in ea se offert circa regnum Israeliticum triplex dispositio, calculus ab Abrahamo dum ducitur per teseradecadas. Ibi enim in ipso fine teseradecadas prima fami- lia Iosephi gloriofissime acquirit regnum, antea non possestum, in persona Davidis, qui erat decimus & quartus: in fine vero secunda teseradecadas familia Iosephi ignominiosissime amittit regnum co-

usque possestam, non in sola persona Ieho:akimi, sed & fratribus in persona, quippe qvorum unus ante illum, & alius post illum, Iochas nimirum & Zidekias, regnum misere ceperunt, miseriis amiserunt, alter in Egiptum, alter in Babyloniam abdu:ctus. Hęc igitur fratrum inducendorū vera causa fuit, ut tanto sc. calamitosior representaretur iactura regni, si obseraretur adeo regnū in familia Iosephi defloruisse, ut Iosias filii, qvotqvt falces ceperint, miserrimè iis sint exuti, adeò ut ex omni posteritate nihil regiae, paru:qvo:q: illu:stri: oris dignitatis post ultimum fratrem Zidekiam & regni finem effulse:rit, donec supra spem, in tertie tessera decados fine venire Christus, qui regnum in familia Iosephi a Davide stabilitum, sed a Ieho:akimo & fratribus perditum glorio:issimè tandem restauraret & via meliore vindicaret. Illud tamen notabile est, qvod unamq: vamq: tesserade:ca: Rex stante regno mortuus claudat, primam David Rex glori:issimus, alteram Ieho:akim Rex, & que ac fratres, miserrimus, ac tertiam Iesu Christus miserrimus idem & glori:issimus, servorum servus & Rex Regum, inque ipsa crucis epigraphē Rex Iudeorum agnitus. Fratrum igitur mentio fit ad designandam absolu:ti:ssimam Regni Iudaici in Ieho:akimo ejusq: non tam filiali, qvam fraterno langvine ruinam, unde nullus in ejus familia regnum terrenum amplius fuerit exspectandum. Tandem hic qvarimus:

V. Qvare fit mentio τῆς Μετακοίσεως βαθυλάνθρωπος, sive,  
An Matthaei sapienter hec verba apposuit, necne?

S. 1.

Negatiyam sine blasphemia nemo potest suscipere; mota tamen circa: Evangelistæ verba qvædā sunt dubia: qvam ob rem verba versus n. plenè exscribenda arbitror. Ιωακόν δὲ εγένητος τῶν Ιεχω:βαῖών τε τετάρτου αὐτῷ ὅτι τῆς μετακοίσεως βαθυλάνθρωπος. Qui Matthæum accu:ant, illi vocem Ιωά in dubium vocant, qvæsi ea nec combinari possit cum voce εἰρήνητε, qvia Iosias non genuerit in captivitate, quippe ante qvam diu sit mortuus; nec cum voce αδελφὸς, quippe cum omnes Iohakimi fratres non fuerint in illa captivitate.

S. 2. Sed quidquid homines isti delirent, nobis tamen Matthæum ita sapientissimè scripsisse persuademus. Observamus enim (1.) decorè positam in fine πατέρεγγίαρχος secundæ vocem

ROMA-



notabilem *mēμηκτοίς* Βαβυλῶν̄, sicut primam clauserat  
notabilis vox Βασιλίων, & tertiam summè notabilis dictio Ἡλέῳ-  
πέρ *Χερσόνεστος* claudit, ut ita rerum mutatio tanto rectius estimaretur  
ad peregrinationem Abrahami ad honores Davidis regios; ab honoribus  
regiis ad peregrinationem ultimorum regum in exilium; ad peregrina-  
tionem istā ad verum patrię Patrem Christum, itemque à virtute com-  
muni ad splendidissimam, à splendidissimā ad miserabilem, à misera-  
bili ad planē divinam.

S. 3. Observamus (2.) *μετακίνησις* à B. Evangelista dictam  
esse valde prudenter, adhibito vocabulo μέτωπον & generaliore. *Μετακίνησις* enim (sicut *μετακίνησις* Act. 7, 4. significat transfero ad in-  
habitationē alius sedis in aliam terram) significatur transmigratio ad  
inhabitationē alius terrae ac domus, sive illa sit spontanea, sive mixta,  
sive plane violenta. Contigerunt autem tum temporis variæ in Baby-  
loniam transmigrations. Prima omniū levissima contigit anno  
Jojakimi tertio & quarto 2. Reg. 24, 1. Dan. 1, 1. sqq. in quā trans-  
portati sunt inter alios Daniel & Sodales v. 6. Altera parca quidē, sed  
cum exitio Jojakimi conjuncta 2. Chron. 36, 6. 7. Jer. 22, 18-22. Ter-  
tia frequentior, in quā Jechonias est transportatus 2. Reg. 24, 10-  
16. 2. Chron. 36, 10. Ier. 22, 24-28 c. 52, 28. Ez. 13, 1. 2. Quarta ma-  
xime horrenda 2. Reg. 25, 1-21. 2. Chr. 36, 17-20. Ier. 37, 1-9. c.  
52, 27-29. cum regni fine connexa, ac quinta tandem extrema &  
vel tenuissimas reliquias transmittens 2. Reg. 25, 22. sqq coll. Ier.  
§2, 30.

S. 4. Observamus (3) vocem quoque Βαβυλῶν̄, ad-  
ditam esse ad designandum tremendum illud regni excidium  
per vires Babylonicas factum. Nam transportatio Assyria-  
ca uti Judæos minus ferierat, ita fere in oblivionem venerat:  
& quæ propemodum cum Babylonica contigerunt, aliæ duæ trans-  
migrations in Aegyptum, altera violenta, 2. Reg. 23, 34. 2. Chron. 36,  
4. Ier. 22, 10-12, altera spontanea Ier. c. 43, 1-7. ad Babyloniam  
collatae erant leniores.

S. 5. Observamus (4) vocem θύμον̄ notare non semper, ut  
dicatur aliquid esse in loco vel in tali statu, sed etiam *versus* vel *ad*  
Act. 23, 6. Joh. 21, 11. ut sensus esse possit: Josias genuit Jechoniam & fra-  
tres eius, sed quovismodi prohdolor, ad transmigrationem, vel versus

tempus transmigrationis, quod sensu germanice dici potest apprimè  
commodo: Iohannes zeugere Ichoniam und seine Bruder gegen die Ba-  
bylonische Gefangniß / cui voci quoad significationem B. Lutheri  
Particula unum plane convenit, quippe quæ non de confuso quodam  
tempore, sed de eis, quod antecedit, per naturam rerum loquitur.  
Quodsi verò vel maximè particula *Ita* significare deberet, rem  
quodam esse in loco, tempore, rerum statu, ellipsis subintelligen-  
dæ phrasēos *et tuas* permitteretur h. m. genuit Ichoniam &  
fratres qui fuerunt tempore transmigrationis, ut Luc. 4, 27. *Ita*  
*Elias* est tempore Elisaei. Utraq; explicatio & clara est & hi-  
storiarum convenienter & sequenti particula *per* fatis opposita. Atque  
ita particula *et* adeo bene selecta est, ut emphasis ejus, transmi-  
grationem graviter etiam præsignificantis, vix ulla alia exaurire  
possit, maximè dum ea cum uno fratre cœpit, cum altero consum-  
mata est.

S: 6. Sed de hac quæstione qui plura desiderat, facile Walthe-  
rum in Harm. Bibl. Spanheimium in Dubb. Evang., & Polum in  
Synopsis Crit. ad h. l. aliasque consulere poterit. Nos verò in to-  
tā tesseradecade secundā, quæ initium in Salomone, non in Davide  
sumit, nihil quod in dubio in vocari possit, superesse censemus, at-  
que ita B. Matthei fidem genealogicanam in illâ mediâ tesseradecade  
satis probatam existimamus: vocabulorum autem expositionem  
prolixam addere supercedimus, cum B. *Mattheus* Apostolus idem  
arque Evangelista satis sit cognitus, & significatio *fides* Divinam ve-  
ritatis sinceritatem, cui tutò possit credi, hic denotantis omnibus sit  
explorata, & *genealogias* nomen dubium nemini creet, simulque  
e v. 17. c. i. Matthei planè pateat, quid *tesseradecas* nobis significet, scilicet nu-  
merum quatuordecim Virorum in eadē serie genealogica, quæ ibi  
prima, media, ac tertia constituitur, *et seqvientium*. Ve-  
neramur nunc sapientiam DEI Sancti Spiritus Matthæum in omnem  
veritatem ducentis, & precamur, ut verbum suum sanctum pro insi-  
nitâ suâ gratia non tantum nobis ad vitæ, sed & ad seculi finem usque  
posterioris nostris largiri, eoque totum orbem implere velit, nos au-  
tem ita per Sp. suum Sanctu n regere, ut de familiâ Servatoris &  
Domini nostri Iesu Christi semper & simus & maneamus, ac tandem in  
in æternam ipsius ac beatificam dominum sanctum  
transeamus.

S, D, G.



153635

AB 153635 (1)

Vd 18



3

fl

Vd 17







Q. D. F. E. J.

S. MATTHÆI  
FIDEM GENEALO-  
GICAM  
IN MEDIA TESSERA-  
DECADE,

*ad Matth. I, 6 - II.*  
PROPIPIO DEO O. M. ET MAX. REV. ORD. THEOLOGICO  
AC  
PRÆSIDE

JOH. PETRO Grünenberg/

SS. THEOL. D. AC P. P. CONSIL. DUC. CONSIST.  
ET PER DISTR. MEKEL. NB. SU-

PERINTENDENTE  
IN AUDITORIO ROSTOCH. ACADEMIE MAXIMO  
ANN. CLS DEC. DIE XI. MAJI, HORA VII. AD XII DEFENDET,  
PROPTERAQVE PLACIDE DISQVISITIONI  
SUBJICIT

JOACH. PRÜSSING. WARENIA-MECL.  
SS. THEOL. STUD.

Rostochi,

Typis IOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

